



**H**einricus ex illustri comitū Plauiorum fami-  
 lia natus est. Is à pneris literis & uirtutibus o-  
 peram dedit, & in uirum maximū euasit. Itaq; Fer-  
 dinandus Cæsar eum plurimū dilexit, inter inti-  
 mos consiliarios suscepit, & Bohemiæ primarium  
 Cancellarium constituit. Cum etiam intellexisset,  
 Mauritium Saxonem pro liberando Landgrauio  
 socero ad arma spectare, anno 1532 hunc Heinricū  
 ad eum legatum misit, atq; omnia de pace cum eo  
 tentare iussit. id quod Heinricus magna sedulitate  
 præstitit. Cum autem tum nihil efficeret, atq; Mau-  
 ritius cum socijs Sueuiam uictor intrasset, ac tan-  
 dem Fräckofurtum obsidione cingeret, Ferdinan-  
 dus Cæsar mense Iulio Plauium denuò ad Mauritium in castra misit. Ibi rebus  
 aliquandiu disceptatis, tandem ut ad pacem inclinaret, persuasit. Itaq; pridie  
 calend. Augusti præter multorum expectationem honestis cōditionibus, hu-  
 ius Plauij opera, de summa rei transactum, atq; Passauij conclusum fuit.